



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm XXVIII. Cùm dilectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

quòd Episcopus sponte, & motu proprio Patronum, si idoneus est, ad beneficium instituire possit; idque duabus maximè rationibus. Prima. Si Patronus pro ea vice liberè renuntiet juri præsentationis, & Episcopus liberè, nullòque pacto antecedente beneficium conferat Patrono. Secunda. Si Episcopus prior conferre cupiat Patrono, ipsèque postea consentiat, & contentus sit; tunc enim Patronus non oritur à seipso, sed ab Ordinario vocatur, cui vocationi ipse consentire potest, sicuti & electus electioni consentire, & interdum cõligere, sicuti docui in *c. consuluit 15. hoc tit.* Nisi ita dicamus, Patrono obesse debet, quòd Ecclesiam fundavit.

CAPITULUM XXVII.

Cùm propter.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex, ut si de Jure Patronatûs sit sit, & intra quatuor menses non fuerit definita, Episcopus Ecclesiam de persona idonea ordinet, ita tamen, ut in posterum non generetur præjudicium illi, qui Jus Patronatûs evertit.

SUMMARIUM.

Lite super Jure Patronatûs intra quatuor vel sex menses non finita, Episcopus liberè instituire potest.

NOTandum. Si ob litem judicariam præsentatio efficaciter fieri non possit, quia nescitur, cujus ex litigantibus præsentatio admittenda sit, Episcopus post lapsos 6. menses, si Patronus sit Ecclesiasticus; intra quatuor verò, si sit Laicus, liberè pro ea vice instituire potest. Idem docui in *c. 3. c. eam. 22. hoc tit.* Ratio datur in textu, ne Ecclesia, seu beneficium diu vacare debeat. Est autem id speciale in casu isto, quòd tempus in jure definitum, videlicet quadrimestre, aut semestris currat, sine culpa, aut negligentia Patroni, propterea quòd

Patronus, seu is, cujus præsentatio admittenda sit, ignoretur; alioquin verò statuenda est regula contraria, videlicet, quòd tempus jure definitum ad eligendum, præsentandum, vel conferendum non currat legitime impedito *c. quia 5. de concess. præb. juncta Gloss. V. suspensionis L. 1. S. ult. cod. de annali exceptione L. in rebus 30. cod. de jure dotium*, ubi dicitur, quòd tempus non currit, agere impedito.

CAPITVLVM XXVIII.

Cùm dilectus.

PARAPHRASIS.

In hoc cap. agitur de reservationibus, quarum in Germania nullus usus est propter Concordata, & ideò non est immorandum.

SUMMARIUM.

1. *Facilius derogatur Ecclesiastico Patronatui, quam Laicali.*
2. *Clerici quoad bona patrimonialia in ordine ad suos Prælatos Ecclesiasticos se habent, sicuti seculares respectu suorum principum secularium.*

NOTandum primum. Discrimen est inter Patronatum Ecclesiasticum, & Patronatum Laicum, quòd illi facilius derogari, & beneficia ejus reservari possunt collationi Papæ aut Legati à latere; sed id non fit in Patronatu Laico excepta plenitudine potestatis Papalis, quare Pontifex nunquam censetur derogare Patronatui Laico, nisi id in litteris specificè expressum sit. Ita *Gloss. recepta hic V. quempiam. Abb. n. 10. Gloss. in Clement. 2. V. Apostolicis de præb. Covarru. in præb. c. 36. n. 1. Sanchez. 1. 2. Mor. lib. 7. c. 27. n. 169.* & plenius docui in *sape cit. c. 13. n. 5.* Rationem discriminis dare debemus partim, ne domini seculares à foundationibus pijs retrahantur, si partim eorum juribus detrahatur, partim quia, sicuti plus juris Prælati Ecclesiarum habent in bona Ecclesiastica, quàm in bona secularia,

laria, sive Laicorum & privata, ita etiam æquum est plus juris eos habere in Patronatum, qui ex Ecclesiasticis bonis, quàm in Patronatum, qui ex secularibus patrimonialibus, seu privatis bonis originem trahit. Veruntamen si Laico ex speciali privilegio, aut consuetudine competat præsentare ad beneficia, quæ secundum originem Ecclesiastici Patronatus sunt, ei derogari posse, ex communi docet Covar. in pract. quest. c. 36 n. 5.

2. Notandum secundum. Clerici quoad bona patrimonialia & propria reputantur, ut Laici, uti Abb. hic n. 5. quod intelligi debet in ordine ad Prælatos Ecclesiasticos, ipsùmque Romanum Pontificem, ut non plus juris in ea habere censetur, quàm secularis in bona subditorum Laicorum, prout Innoc. & alij docent in c. qua in Ecclesiarum de constit. quomobrem etiam jus Patronatus, quod ortum habet ex bonis Clerici patrimonialibus, ut Laicum reputatur. Ecclesiasticum verò dicitur jus Patronatus, quod ex bonis Ecclesiæ originem sumpsit, uti etiam colligitur ex hoc c.

CAPITULUM XXIX.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, si Episcopus Clericum præsentatum non acceptavit, & Patronus alium præsentavit, institutionem secundi validam esse: provideri tamen debere primo, si malitiosè fuit rejectus.

SUMMARIUM.

Quandonam presentatus censetur malitiosè rejectus?

1. Notandum, Si Laicus Patronus successivè duos Clericos præsentet, melior est conditio ejus, qui ab Episcopo institutus est, etsi posteriore loco præsentatus fuerit: quare in hoc casu alteri, qui prius est præsentatus, jus appellandi, aut quære-

landi non datur. Habetur etiam in Quòd autem s. hoc tit.

Limitari debet, si institutio posterior ab Episcopo ex malitia fiat, petere potest, qui prior præsentatus fuit, ut sibi aliud beneficium competens provideatur. Censetur autem malitiosè egisse Episcopus, si prius præsentatum ante præsentationem secundi sine justa causa repulit, videlicet sine examine, aut cum in examine idoneus repertus esset. Secundò, Si post præsentationem secundi prius præsentato, tamen magis idoneus esset, prætulit, & instituit secundum. arg. cons. dist. 63. c. cum astem 24. hoc tit. unde requiritur, posteriorem æquè esse idoneum, ut institui possit, itaque si prior magis sit idoneus, quæritur institui poterit, & petere, ut aliud sibi beneficium detur ex Canonis hujus promotione.

CAPITULUM XXX.

Postulasti.

PARAPHRASIS.

Ad dubitationem Episcopi Antientis respondet Pontifex, si quis præsentante Revere Ecclesiæ ordinatus sit ad titulum illius Ecclesiæ, nullum per ejusmodi institutionem præjudicium generari Patrono, quin possit vacante Ecclesiæ alium præsentare, nisi in institutionem obstitit.

SUMMARIUM.

1. Parochus potest ad titulum suæ Ecclesiæ Parochialis ordinandum, seu Episcopo offerre, etiam si Ecclesiæ illa parochialis sit.
2. Nullum tamen exinde præjudicium Patrono generatur, si consensum non præstiterit.

Notandum primum. Rector Ecclesiæ Parochialis sive Parochus potest ad titulum parochialis sui beneficii, etiam si